

RHENERVS SOLENANDER MEDICVS CLIVENSIS.



**R**henerus apud Belgas natus est anno circiter 1525. Erat is felici ingenio praeditus. Itaque animū ad literas conuertit, atque hinc inde Academias frequentās plurimū in ijs profecit. postea uero in Italiam prefectus Pisam peruenit, & ibidem magna diligētia Philosophiae & Medicinæ operam dedit. In ijs cum sibi magnam eruditioñē comparasset, eius facultatis Doctor promotus fuit. deinde in Germaniā rediit, & Medicinam exercere magna dexteritate cœpit. Id cum illustriss. princeps Vuilhelmus Cliuiæ dux intellexisset, eum liberali stipendio proposito ad se uocauit, & suum Medicum constituit. quam etiam functionem hactenus per aliquot annos magna gloria apud eum exercuit, & etiamnum ob eruditioñem & uirtutem in ijs locis agnoscitur. Anon.